



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 102. Papa Venetos a Gallis abstractos Cæsari conciliare intentus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1513.

Bembo l. 5.  
ep. 32.

Petr. de  
Angler.  
epist. 560.

memorat; prima enim vice hoc titulo ornatus legitur in epistola hoc anno die quinta Novembris a Pontifice ad eundem scripta, imo Petrus de Angleria aliam quamdam refert epistolam trigesima Decembris datam, in qua Matthæus nonnisi Cardinalis *electus* nominatur, abs dubio, quod absens ad Cardinalatum vocatus esset. (\*)

§. CII.

*Papa Venetos a Gallis abstractos  
Cæsari conciliare intentus.*

Ceterum ex agendi ratione, qua Leo Ludovicum Regem habebat, sinceræ reconciliationis animus ei defuisse videbatur; nil enim intentatum rellequit Pontifex

(\*) *Hanc controversiam optime conciliat Ciaconius, cum scribit. Matthæus secreto Anno 1511. adscriptus fuerat inter Cardinales, & die Jovis decima octava Decembris eodem anno publicatus, ast ille Cardinalitias vestes deferre noluit. Regnante dein Leone X. die 20. Novembris anno 1513. urbem petens recusabat a Leone pileum Cardinalitium recipere, cum diceret, illum a Julio sibi missum olim recepisse: Cum tamen solemniter non fuisset ejus capiti impositus, decretum fuit, ut ad publicum consistorium, in quo receptus fuit, imponeretur.*

tifex, ut Venetos a Gallorum foedere ab-  
 fraheret, eosque in Cæsaris gratiam Sæcul. XVI.  
A.C. 1513.  
 reduceret: quinimo, ut votis suis poti-  
 retur, iisdem, nisi Cæsari accederent, nul-  
 lam spem in Papæ præsidio repositam  
 fore exposuit, suis vero copiis præcepit,  
 ut in Continentis ditionem ad Cardon-  
 næ & Rocandolfi exercitum contende-  
 rent, priusquam vero iussa effectui da-  
 rentur, rem cum Episcopo Gurcensi tum  
 Romæ agente contulit, qui, ut foedus  
 maturaret, Pontifici literas solo Cæsa-  
 ris Domini sui nomine subscriptas tradi-  
 dit; similem quoque epistolam Respubli-  
 ca porrigere adstringebatur, ea tamen  
 conditione, ut Pontifex hac super re in-  
 consultis iis, quorum interest, nullam sen-  
 tentiam pronunciaret: Nec tamen E-  
 piscopus aliud in hoc negotio impetra-  
 bat, quam ut Papa inducias indiceret;  
 Cæsar enim obfirmato animo Vicentiam  
 tueri statuebat; eoquod hæc urbs Ger-  
 manis opportunum in Longobardiam  
 ingressum præberet; Veronnam quoque  
 sibi reddi petiit, ibi enim copias, quas  
 in Italiam mitteret, commode colligere  
 poterat, nec non præter has alias quoque  
 condiciones Venetis præscripsit, ac inter  
 ceteras ut centum aureorum millia infra  
 trimestre penderent, hujusque summæ  
 tertiam partem eodem die, quo foedus  
 firmaretur, numerarent, & denique, ut

Sæcul. XVI. Respublica continentis ditionis, quæ ei-  
A. C. 1513. dem superesset, regimen beneficiario no-  
 mine ab Imperio denuo reciperet.

## §. CIII.

*Conditiones a Venetis rejectæ.*

**A**st Senatores, cum haud obscure prospicerent, quod tota continentis regio, si Vicentia, ac Verona Germanis relinqueretur, utraque hac urbe velut finibus circumscriberetur, proin illam validis omnino præsidiis cum majori longe dispendio, quam proventuum commodo firmare oporteret, hinc duras adeo conditiones acceptare renuebant, unanimi suffragio decernentes, malle se, Rempublicam quibuscunque periculis, quæ ipsi impenderent, objicere, quam Germanis urbes ad Mincii & Athesis fluminum litora fitas relinquere. Magis adhuc Venetorum animos exulcerabat Rex Catholicus, qui Brixiam urbem quamvis altera post initum foedus die eam Venetis reddere pollicitus esset, Cæsari tamen restituit; hic vero urbem haud alio pacto reddere voluit, quam novis conditionibus ab eo proponendis. Senatores, quod propria sua bona auro redimere compellerentur, vehementer indignati, nullas ultra sibi foederis conditiones proponi patiebantur, ea potissimum ratione firma-